



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Pars XII. Erga Sanctos Omnes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

EXERCITIORUM

P A R S XII.

Erga Sanctos Omnes.

EXERCITIUM I.

Ad quid Deus Sanctos apud se in Cælo habeat?

STatue te in conspectu Sanctorum, Electorumque Dei omnium, jam cum Deo in Cælo beatificè regnantium.

2. Disquire, & dispice, ad quid voluerit Deus Sanctos secum esse in Cælo? Voluit ad hoc, & fecit hoc: ut in eis, Creaturæ suæ, se, suaque bona Divina, quàm maximè communicaret: communicando autem, sese in Creaturis, & Creaturas in se, ita quàm plenissimè expleret, ut amplius illæ expleri non possent, & nec ille posset explere: dicente ipso Domino; *Ego ero merces tua magna nimis. Et, Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui: Et, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem, dabunt in sinum vestrum.*

3. In hac Vitâ, dabat Deus Sanctis suis, esse vivere, sentire, moveri, intelligere, & multimodis operari, quantum ad Naturam: In hac eadem Vitâ dabat iisdem Sanctis Deus, esse Gratiæ, sive, habere Esse Divinum, vivere gratiâ, sentire, moveri, agi gratiâ, & in gratiam, & in opera gratiæ, ac Virtutum supernaturalium,

Gen. 15. 1.
Mat. 25. 13.
Luc. 6. 38.

G:
ope
To.
N
5

ac perfectionis earum, intelligere, quoque, five agere, & agi vitali vigore meritorum JESU Christi, per rationes æternas, per dona, fructusque Spiritus Sancti, per dictamina fidei, per Intentiones Spei, per abundantiam, fervorem, constantiam, efficaciamque Charitatis Dei, atque Christi.

4. At verò in Beatâ Vitâ, iisdem Sanctis, Deus dat Esse beatitudinis, dat vivere beatè, dat videre, seu intelligere, & amare beatè, dat sentire, experiri, possidere beatitudinem: dat in beatitudinem moveri, & agi, eamque pati, eâ expleri, satiari, saginarique: & tamen ad eandem semper ac semper, ampliùs ac ampliùs anhelare, aspirare, æstuarè, toto pondere ferri, ac tendere, totâ fiti, fameque inhiare, totâ capacitate repleti ac satiari, & nihilominus satietate famescere, rursumque fame satiari: dat denique Sanctis in cælo Deus, non solùm beatos esse, sed etiam in beatitudine esse, vivere, habitare, regnare, absorberi ab eâ, possideri ab eâ, transformari, & quasi transeffentari in eam: atque sic esse in æternùm & ultra, & ampliùs: quia dum Deus erit Deus: id verò beatificè, ac intuitivè, & facie ad faciem, Deum intellectu videndo, affectu amando, possidendo, & fruendo, gaudento & conquiescendo, durando & perennando, securitate felici, felicitate æternâ, æternitate beatâ, beatitudine Divinâ, & ipsius Dei, & ipso met Deo.

5. O quam bonus est Deus Creaturis suis, & in Creaturas suas! O quantum bonum est, ad tantum Dei bonum (quale est, esse Deo beatum) esse creatum, & destinatum! Super omnia verò:

Aa 3 O quam

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Drupe" and other illegible scribbles.

Fragmentary text from the left page, including "UM", "es.", "Cælo", "Electo-Deo in", "rit Deus", "hoc, &", "suâque", "nicaret:", "ris, &", "leret, ut", "ille pos-", "eromer-", "fidelis", "bonam", "tem, da-", "is, esse", "multi-", "In hac", "is, esse", "vere gra-", "gratiam", "uralium", "ac per-

O quam bonum est, esse de electis, esse de addu-
ctis, esse de admissis, ad tantum, & in tantum
hoc est, in omne bonum, in bonum super omne
bonum, in omne Divinum bonum, in ipsum
Deum! O quam bonum est beatum esse, & ipso
quidem Deo beatum esse, & in omnem, ac per
omnem aternitatem Deo beatum esse!

6, Gratulare quantum potes, omnibus, &
singulis Sanctis, quos Beatissimus, & omnis
beatitudinis Oceanus omnisque Beatitudo Deus,
fecit, & invenit, dignos se, & elegit ex omni
carne ut ipsos re ipsa faceret beatos ipso se. O
fortem verè beatam, quâ Sanctis Dei obtigit,
non solum conditos & vocatos ad Beatitudinem
esse, verum etiam efficaciter, ac re ipsa, beati-
tudinis compotes, comprehensores, possesso-
res esse!

7. Age gratias Christo, hujus Sanctorum bea-
titudinis per merita sua auctori; Age gratias Deo,
ejusdem ex suâ gratiâ, & ob Christi merita, San-
ctis suis largitori.

8. Accendaris & tu, beatitudinis desiderio;
sed quia ad eam requisitissima est conditio, San-
ctitas hujus Vitæ, sive, consummatio in Virtute
perfectionis, ac perfectione Virtutum, potissi-
mumque Charitatis; propterea id unum, id so-
lum, id toto conatu, toto sumptu, totâ intentio-
ne, inexplebiliter age: ut per omnia Sancte vivas,
& Sanctus sis, & simillimus Sanctorum Sancto
Jesu Christo sis, similis Deo (qui & Sanctus, &
Sanctitatis fons, & ipsa Sanctitas est) in Sancti-
tate sis.

PRAXIS.

G:
ope
TO:
N
5

S
ip
qui Sa
titudi
possess
dictus
Beati
candi
tudine
felix
Deo:
Deo:
Sanct
beatus
beatus
ipse p
atque
ô Bea
stro.
ptoris
& De
ciar si
que sic
sus à L
1. S
2
quod
habit

P R A X I S.

Sancte, & Beate Deus: sanctitudo, & beatitudo ipsa tua, omniumque Electorum tuorum Deus, qui Sanctos, & Electos tuos, ad sanctitatem, & beatitudinem creas, eligis, vocas, deducis, & in ipsius possessione finaliter, efficaciterque collocas: Sis benedictus in æternum, tam ab omnibus hisce Sanctis, ac Beatissimis tuis, quàm à me pauperulorum Sanctitatis candidatorum, atque utinam etiam tuorum ad beatitudinem electorum uno. O quanta felicitas, quàm felix jucunditas, quàm jucunda beatitudo, esse cum Deo: videre Deum, vivere de Deo, Beatum esse Deo, videre etiam Sanctos, & esse cum Sanctis, & Sanctum esse! Beatus populus, qui scit Jubilationem: beatus qui possidet beatitudinem: beatus qui Deo suo beatus est: beatus, cujus & possessio Deus est, & qui ipse possessio Dei est, ac æterna est. Gratulor vobis, atque millies, & millies millies gratulor, ô Sancti, ô Beati, quia sancti, & beati estis Domino Deo vestro. Fiat hoc precibus vestris, fiat meritis Redemptoris nostri Domini Jesu Christi, fiat gratiâ Domini & Dei nostri, ut ego quoque, in hac quidem Vita, efficiar sicut vos Sanctus: in æterna verò efficiar quodque sicut vos, Deo beatus, possidens Deum, & possessus à Deo, possessioque Dei æterna.

EXERCITIUM II.

De Amore erga Sanctos.

1. **S**tatue te coram Sanctis omnibus cum Deo in Cælo regnantibus.
2. Elice actum Fidei Catholicæ de Sanctis, quòd sint nimirum Sancti, quòd in cælo cum Deo habitent, quod Deum beatificè videant, eoque posses-

DRUX
 SICKI
 r: asca
 II
 V
 7

possessivè, ac in æternùm fruantur: quòd in Deo juxta statum suum, nos, & nostra cognoscant, (quid enim non vident, qui videntem omnia vident?) curent; pro nobis orent Deum, & suis nos apud Deum meritis, precibusque protegant. Item, quòd Deus, multa, eorum intuitu bona nobis præstet, aliàs non præstiturus. &c.

3. *Æstima, & appretia Sanctos Dei, eorumque Dignitatem.* Omnes enim magnæ sunt, quia omnes jam beati, omnes Amici, & Domestici, & Cives Dei. *Omnes nimis honorati: nimisque confortatus principatus eorum.* Amat illos, & æstimat, & exaltat, & glorificat Deus in domo suâ æternâ, in æternùm, tanquam fideles, & prudentes servos, amicos, filios: quin & Sponsas gratiosissimas, electas, & sine maculâ: propter quod Deus ipse merces eorum magna nimis. *Deus facit illos discumbere super mensam suam, & præcinctus transit, atque ministrat eis, non aliud bonum, quam omne bonum, nimirum semetipsum. Ideo, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit illud bonum, quod præparavit; atque jam præbuit Deus diligentibus se, & regnantibus secum, ac possidentibus, & fruentibus se.*

Genes. 15. 1.

Luc. 12. 37.

1. Cor. 2. 9.

4. Ama ergo hos Sanctos, hos Beatos, & Deo quidem ipso Beatos: sunt enim Sancti, & beati, sunt Dei sancti, sunt Dei amici, sunt etiam nostri Amici, os, & caro nostra, fratres & coheredes nostri, quoad bona omnia Gratia, atque Gloria. Insuper sunt perpetui nostri benefactores, prece, merito, exemplo, volo, protectione, curâ, communione, doctrinâ.

5. Gratulare Sanctis bona ipsorum, & gaude illis, quia illis, quia tanta, talia, & ista sunt; quia tam

G:

ope

To.

N

5.

tam multa, tam vera, tam pura, tam solida, tam æterna: tam in Deum, in ipsos, in omnesque beatos mutuò, in te, in omnem Ecclesiam militantem, atque triumphantem, in totam denique universitatem redundantia.

6. Desidera, & anhela ad bona Sanctorum, ad Societatem eorum, ad statum ipsorum. Hæc est enim voluntas Dei, Sanctificatio nostra, & ad Sanctos ejus associatio nostra.

7. Ora sanctos, ut orent pro te, ut protegant te, adjuvent, & dirigant te, donec te quoque habeant Sanctum, ac Beatum in Deo apud se.

P R A X I S.

O Deus, qui de vivis, & electis lapidibus, æternum majestati tuæ præparas habitaculum: & cui soli cognitus est numerus electorum in æternâ felicitate locandus, & jam locatus; confiteor te esse Sanctorum tuorum, per tuam gratiam, perque Filii tui Domini nostri merita, glorificatorem: Confiteor etiam, apud te esse mansiones multas Sanctis tuis paratas, & refertas: in quibus habitant, & habitabunt, illi Amici tui, in secula seculorum, laudantes te, summum Bonum suum, summam mercedem suam, summam beatitudinem suam. O Sancti, ô Beati! quàm nimis honorati estis apud Deum! quàm confortatus est Principatus vester ad Dominum! Beatus tu Israel in Domino Deo tuo. Sed, ô popule felix, ô gens sancta, ô generatio beata, memento etiam nostri in beneplacito tuo, quoniam benefecit tibi jam Deus tuus in te. Fratres nostri estis vos: nos autem Os, & Caro vestra: Gaudemus nos de bonis vestris, satagite, & vos pro bonis nostris: gratulamur nos

Aa 5 omnia

DRUX
SICKI
r: ASCA
m II
V
7

378 *Exerc. III. De Sanctorum Veneratione*
omnia bona vestra, pertineat etiam ad vos sollicitudo
pro salute nostra.

EXERCITIUM III.

De Sanctorum Veneratione.

1. **S**Tatue te in conspectu Sanctorum omnium cum Deo in Cælo regnantium.
2. Agnosce eorum præsentiam, & ubique eam venerare. Etsi enim non sunt ubique per Essentiam suam; per præsentiam tamen, & cognitionem sunt, ubicunque esse volunt, & ubi status eorum, vel finit, vel poscit.
3. Ubique ergo Sanctos tanquam præsentem agnosce, & venerare. Quis enim novit, qui, & quot sunt in eo loco præsentem, atque te, & tua omnia pernoscentes intuentesque, in quo tu manes, & versaris, & operaris?
4. In locis præsertim Sacris, in templis Deo dicatis, in Domibus Religiosis, quid non est ad Sanctos pertinens? quid non est sacratum eorum vestigiis, laboribus, orationibus, meritis, obsequiis in Deum, & pro Deo, pænitentis, & mortificationibus, in hâc vitâ, imaginibus quoque, Reliquiisvé sacris?
5. Quid quòd cum Sanctis Angelis Custodibus, adsunt etiam nobis Patroni nostri Sancti, quorum Nominibus nominamur, quorum Patrocinio nos commisimus: quorum cultui specialius dediti sumus, quorum reliquiarum sacrarum penes nos sunt, qui de sanguine, cognatione, atque affinitate nostrâ sunt, de quibus sive viventibus, sive defunctis jam, singulariùs meriti sumus, vel etiam qui de nobis rectè, salubriterque meriti sunt: quorum
salutis

G:

ope

To.

N:

5.

salutis media feliciter fuimus: quosque Deo lucrati sumus: qui similiter nostra salutis media ex providentiâ divinâ fuerunt.

6. His accenseri possunt Sancti locorum, urbium, populorum, superiorum, Rectorumque nostrorum Patroni; Et ipsi etiam Superiores, Principes; Curatoresque nostri, Sancti, atque jam Deo fruente, quos res nostras, & cognoscere in Deo, & promovere apud Deum, sedulâ, efficacique operâ, ac interventione, certum est. Si enim impius ille *Epulo*, pro *fratribus suis* agebat, ne & ipsi venirent in consortium pœnarum suarum, Sancti nostri Charitate Dei beatifica repleti, radicati, & fundati, non hoc assiduitatis apud Deum suum agent studiis, Deo per omnia gratissimis, ut nos aggregemur beatissimæ Societati ipsorum?

Luc. 16.

7. Age gratias Deo pro Sanctis: & pro omnibus bonis in ipsos collatis, & maximè finali, ac ultimâ perseverantiæ gratiâ conclusis, insuperque æternâ beatitudine, interminatâque Dei, summi boni, possessione, & fruitione cumulatis.

8. Gratulare Deo bona illa omnia quæ in Sanctos suos effudit. Sunt enim ejus, sunt & ipsa bona: ipsi honorifica, in ipsius glorificationem redundantia, utpote in fontem, in finem, in centrum eorum. Ipsius etiam per ea Majestas; Bonitas, Perfectio, Charitas, Liberalitas, Misericordia, Justitia, Sanctitas, Beatitudo, manifestatur. His iisdem ille potissimum, finaliterque explet, & exsaturat suam Voluntatem, Sapientiam, Potentiam, Veritatem, Providentiam, Virtutem, Dignitatem, Voluntatem, in
quan-

DRUR
BICKI
r: ASCA
m II
V
7

quantum per Creaturam puram explebilis est. Nec potest Deus magis, sicut suas Creaturas honorare, ita & vicissim à Creaturis suis honorari, laudari, exaltari, amari, quàm beatificâ sui per Creaturas fruitione, atque possessione in æternum duraturâ. Hoc igitur, tam Sanctis propter Deum, quàm Deo propter Sanctos ejus gratulare.

9. Concupisce quàm plurimos, quamque maximos esse Sanctos, ut ab iis Deus quàm maximè laudetur, honoretur, exalteturque. Nominatim te ipsum, tuæque curæ commissos, cura, ora, stude reddere, quàm maximè Sanctos, & perfectos in præsentî vitâ, dignissimos, & aptissimos beatitudini in futurâ vitâ: ut & hîc, & in cælo, quàm maximè, per ipsum te, per tuos, per omnes Deo benè sit: Deo honor, amor, exaltatio accrescat.

P R A X I S.

O Sancti DEI: agnosco, & veneror præsentiam vestram: quid enim non videtis, qui videntem omnia, & in eo pariter omnia videtis? quid est absconsum ab oculis vestris, qui in fonte, & speculo rerum omnium habitatis? Quomodo non in omni officio, reverebor, & honorabo vos, qui omnem locum, angulum, officiumque omne, honorastis, & consecrastis, Divina laude, obsequio in Deum vestro, oratione, devotione, veneratione, labore, & sudore, omnique piorum exercitiorum genere, & omnium virtutum exercitio, propter DEUM, ejusque gloriam, propter vestrum apud DEUM meritum, præmiumque. Domine: sis benedictus in tuis Sanctis, in quibus mirificasti omnes voluntates tuas,

G:
 ope
 To
 N
 5

tuas, quos replesti divitiis bonitatis, tuæ, per quos explesti, & saginasti gustum, & voluntatem amabilissimi cordis tui. Omnia Sanctorum bona, omnia merita, omnia opera, tua opera sunt dona: tuæ sunt bonitatis, & gratiæ munera. Tu magnificasti in eis Virtutem, & Veritatem tuam, & gloriam tuam: quoniam gloria Virtutis eorum tu es: & coronæ illorum, coronæ tuæ sunt: laudes illorum tuæ laudes sunt: Tu pasceres profectibus, tu ornaris laudibus Sanctorum tuorum. Ita ut tantò magis sis laudabilis, & gloriosus, quanto illi magis sancti, magis te digni, magis Beati apud te, & coram Te; Da nobis Domine, tuorum Sanctorum minimis fratribus, ut in gloriam tuam, per gratiam tuam, per Sanctorum intercessionem, crescamus etiam omnes nos, in omne opus bonum: ut fortitudo nostra sit gaudium tuum, & magnitudo nostra sit incrementum magnitudinis tuæ, atque beatitudo nostra, sit accumulatio beatitudinis tuæ.

EXERCITIUM IV.

De Communcatione cum Sanctis in bonis eorum.

1. **S**Tatue te coram Sanctis jam cum Deo regnantibus, jamque DEO beatis;
2. Communica illorum bonis omnibus, non solum per Spem futuræ participationis, sed etiam per usum, participationemque præsentis communicationis. Sumus enim invicem membra, sub uno capite Christo, in uno corpore Christi. Membra autem unius corporis, ejusdemque capitæ, communia sibi bona habent. Oculus, v. g. non soli sibi videt, sed omnibus membris, toti-

DRUR
SICKI
r: 4801
II
V
7

totique corpori, pes non solum sibi ambulat, sed toti corpori suo in quo est: & sic deinceps. Atque eodem modo gloria unius alicujus Sancti, est quidem illius, sed non solius, verum omnium etiam est. Ergo *particeps sum ego omnium timendum te Domine*: omnium glorificantium te, omnium Beatorum de te, omnium viventium apud te; omnium regnantium tecum.

Pf. 118. 39.

3. Multiplex autem potest esse communicatio cum Sanctis in bonis eorum. Sicut enim unius Urbis, aut Regni Cives, multis valde modis secum communicans: ita & nos cum Sanctis,

Ephes. 8. 19.

qui sumus non jam hospites, & advena, sed domestici DEI, & Cives Sanctorum, varie communicamus cum illis. Communicamus fide v. g. quod enim illi vident, nos credimus. Communicamus Spe, quia quod illi possident, nos speramus. Communicamus Charitate, quia quod illi amant, & quo fruuntur, nos desideramus. Communicamus laude, quia quod illi laudant, & nos laudamus. Communicamus termino, quia ubi illi jam sunt, eò nos currimus. Communicamus imitatione, quã enim illi vitæ ratione affecti sunt, eadem nos contendimus affectui, summum, & ultimum nostrum bonum. Communicamus denique fruitione Dei, non ita solum, quia quo illi fruuntur per gloriam, hoc nos fruimur per gratiam, sed etiam ita, quia ista ipsa eorum fruitio Dei per gloriam, nostra quoque est, quia in illis, & per illos, esto necdum per nos, possidemus illam.

4. Hic verò communicandi modus ultimus, etsi videtur esse in Sanctis felicior, idem tamen est in nobis utilior. Sanctis enim jam non proficit

G:
ope
To
N
5

ficat a
bis au
quia
gratu
nostr
bis à
nostr
5.
ex gau
titudi
tutes S
runt a
exemp
mus;
profic
meriti
illi fue
des sic
reposit
jam pe
6.
hoc;
jam es
Deum
beatitu
tum tu
reddis
7.
Sanctis
modis
lem,
esse gl
in Sanc
ticular

ficit ad meritum, sive gratiæ, sive gloriæ: nobis autem prodest ad incrementum utriusque: quia Charitas nostra, quâ sanctis volumus, & gratulamur eorum bona; & facit, ut fiant etiam nostra: & crescere facit, in nobis, donata nobis à Deo, etiam ob Sanctorum merita, dona nostra.

5. Neque verò hic tantum stat utilitas nostra, ex gaudio nostro de Sanctorum gloriâ, & beatitudine: sed porrigit se fecunditas ista, ut virtutes Sanctorum quibus illi ad gloriam pervenerunt æternam, in nostrum transeant usum: quia exemplo eorum, in iisdem Virtutibus crescimus; dum in iis nos exercemus: quo exercitio proficientes, Sanctis assimilamur in merito, & meriti præmio. Reddimur v. g. Humiles sicut illi fuerunt, Mundo corde sicut illi, Misericordes sicut illi, Patientes sicut illi, &c. & mercedem repositam habemus apud Deum eandem, quam jam perceperunt illi.

6. Exulta de hac sorte tuâ, & nominatim de hoc; quia toties, & tot beatitudinibus eris, imò jam es, beatus, quot beati sunt, & erunt apud Deum: quoniam omnium & singulorum eorum beatitudo, in tantum tua est, eritque, in quantum tu amas illam, gratularis illam, aptum te reddis ad illam.

7. Exulta etiam, Deum, & tibi, & electis, Sanctisque omnibus, toties, tot, tantisque modis sigillatim esse bonum, esse liberalem, esse profusum, esse beatificantem, esse glorificantem, quot, & quantis modis, in Sanctos beatitudinem profundis: tuâ tibi particulari, ac personali, esto etiam in omnes ex-

un-

DRUR.
SICKI
r: ascal
m II
: V
7

undante, integrâ remanente ex Deo beatitudine.

8. Statue operam dare, ut etiam per tuam Beatitudinem olim habendam, quin & per eisdem promerendâ strenuam in præsentî curam, nunc quidem primùm in hac, deinde in alterâ illâ vitâ, accrescant omnibus, & singulis Sanctis, gloriâ, coronâ, felicitates, exultationes, beatitudines. Sicut enim omnium illorum beatitudo, tua est suo modo beatitudo: ita quoque tua unius beatitudo, omnium, illorum erit beatitudo.

9. Contende ergo crescere, ampliùs, & ampliùs semper: nec unquam desiste proficere in Virtute, in Perfectione, in Sanctitate, in Meritis, in Gratiâ. Semper adde, semper ambula, semper profice, hîc in beatitudinis merito, ibi in ejusdem præmio: ut etiam omnes Sancti Dei, imò & ipsemet Deus, crescant in beatitudine, & gloriâ suâ perte.

P R A X I S.

DEUS qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris; simulque in Beatorum tuorum Beatitudine Beatus; quin etiam in unius Sancti honore Sanctos omnes honorans, & in unius beatitudine omnes quoque beatiores facis; atque ita dum uni bonus es, omnibus es bonus, divesque in omnes, dum in unum es dives: Te laudo in hac magnificentia bonitatis tue: & eam tibi, & Sanctis tuis, imò & mihi, cum iisdem tuis Sanctis adgratulor. Bonus es Domine; at non tibi soli, verùm etiam omnibus Beatis tuis, quos tuâ Bonitate beatos facis. Bonus etiam es beatis, at non solis, sed

G:
ope
to
N
5

sed etia
sed etia
quand
bonus
eorum
ipsi es
mus es
Gloria
nobis b
nitate
bonitat
dem bo
omni B
ut Tu b
Te bona
omnia

E
1. ST
entibus
2.
cumulu
omniu
sequia
sanguin
tionem
propter
Dei, &
tum, B
ejus, in
Homin
V.P.

sed etiam in eis mihi. Bonus es mihi, ac non soli, sed etiam Tibi, & omnibus beatis. Bonus es mihi, quando Tibi ipsi Patri meo, & illis fratribus meis es bonus. Bonus es illis omnibus, quando mihi fratri eorum, es bonus, & in omnibus nobis, tibi quoque ipsi es bonus, quia Pater omnium nostrum amantissimus es: & quia propter Te, & propter magnam Gloriam, Laudem, Bonitatemque tuam es omnibus nobis bonus. O sis benedictus Domine, in omni bonitate tuâ; Sint omnes Sancti tui benedicti, in omni bonitate tuâ; Fac & me benedictum, propter eandem bonitatem tuam. Fac me Domine crescere in omni Bonitate, propter te, & propter Sanctos tuos: ut Tu hoc modo sis omnia in omnibus, & omnia in Te bona valde: beata perenniter, felicia tecum, per omnia secula seculorum.

EXERCITIUM V.

De fructu Dei ex Sanctis suis.

1. Statue te coram Sanctis, in cælo cum Deo regnantibus, atque DEO beatifice fruentibus.

2. Revoca in memoriam, & in unum veluti cumulum congrega, multiplicia Sanctorum omnium opera, merita, labores, passionem, obsequia, & studia, usque ad defatigationem, ad sanguinem, ad vulnera, ad mortem, ad exinanitionem variè, constanter, perseveranter obita, propter Amorem, gloriam, exaltationemque Dei, & Manifestationem, Veritatum, Voluntatum, Beneficiorum, Operum, & Perfectionum ejus, inter, & apud Creaturas ejus, scilicet apud Homines ignaros, ingratos, contemptores, neg-

V.P. Druzb. Op. V. Bb lecto-

Druz.
Sicki
r: ascal
m II
V
7

lectores, olores, hostes, persecutores, odium pro dilectione, mortem pro vitâ, cædem, furorem, rabiem, lanienas, excarnificationes, lentissimas, easdemque sævissimas mortes, pro salutis animarum, & beatitudinis, vitæque æternæ iis denuntiatione, atque prædicatione red-dentes.

3. Gratulare Deo tales Sanctos, seu servos fideles, & navos in vineâ illius, & pro gloriâ illius operarios.

4. Gratulare quoque Sanctis talem materiam, objectum, profectum, successumque, operum, ac laborum suorum: & quidem in æstimatione & remuneratione, extra omne dubium, æquis-sima, simulque maximâ quia Divinâ, quia bea-tifica, quia sempiternâ, nullumque finem unquam habiturâ.

5. Gratias age Sanctis pro omnibus honori-bus, laudibus, exaltationibus, cæterisque omni-modis obsequiis, quæ impenderunt Deo, vi-vendo, laborando, patiando, moriendo pro-pter Deum, ejusque Gloriam. Quia enim Deus est quiddam tuum, imò, est summum, & omne bonum tuum, magisque etiam quàm tu ipse es bonum tuum; (tu enim tibi nihil esses, nihilque esse posset, nisi Deus esset bonum tuum:) est Deus, Deus tuus, Creator, & Factor tuus ex nihilo tuo: est Pater, est Rex, est Dominus, est Possessor, Heres, Amicus, Benefactor, Confer-vator, Provisor, Amator, Sponsus, Medicus, Protector tuus: uno verbo: est Deus tuus, De-liciæ, & Divitiæ tuæ, & omnia tua: ideo quid- quid Sancti quicumque fecerunt Deo tuo, & pro Deo tuo, id totum fecerunt tibi, & pro te, at-

G:
ope
To
N
5

que
quã
feco
mar
jus,
est
bon
tes c
tibi,
fecif
nime
preti
infin
non
pere
sce,
grati
merit
7.
Sanct
de qu
Deo
metir
enim
cere c
quàm
justio
Deum
ctum
quoni
dit pro
(ut car
unus,

que propter te. Imò aliquid amplius fecerunt, quàm si fecissent tibi, vel propter te: quoniam fecerunt DEO, & pro DEO, qui est magis tuus, majusque infinities bonum tuum, quàm es tu.

6. Et quia bonum Dei, minimum etiam, majus, ac melius est, (eo ipso quia Dei est) potius est ac esse debet tibi; quam si maxima & infinita bona obvenirent tibi: ideò Sancti benè merentes de Deo, longè melius, ampliusque fecerunt tibi, quàm si maximè, & infinities aliter benefecissent tibi. Adde his, quòd mereri etiam minimum quid de Deo, majus, & appetibilius, appetibiliusque sit, quàm sit mereri summè, & infinitè, de omnibus simul Creaturis, si in eis non attendatur Deus. Si ergo Sancti, tantopere sunt meriti bene de Deo: jam ex hoc agnosce, quam, & quantam illis gratitudinem, atque gratiarum actionem debeas, hoc nomine bene meriti de Deo?

7. Non est verò putandum: quòd ex eo, quia Sancti quàm optimè sunt meriti, de te, v. g. vel de quovis alio ante creato, dum sunt meriti de Deo nostro, qui est summum bonum nostrum, metiri debeas fructum Dei ex Sanctis suis: ista enim mensura, creaturam potius videtur respicere quàm Deum, tuusque is magis fructus est quàm DEI: Sed advertendum est, aliquo alio justiore respectu, obsequia sanctorum erga Deum fructuosa esse Deo, Deumque hunc fructum aestimare. Est autem respectus iste: quia, quoniam Deus, sicut omnem creaturam condidit propter se, & propter puram, magnamque (ut canit Ecclesia) gloriam suam: ita ut hic sit unus, ac solus, ultimatiusque fructus Dei, quem

Bb 2

ille

DRUX
SICKI
P: 480
II
V
7

ille spectat, & exspectat ab omni suâ Creaturâ:
 ita etiam & à Sanctis suis, hunc unicum fructum,
 & habere optat, & habet; quia ab eis glorifica-
 tur: glorificatur autem in hac quidem mortali vi-
 tâ obsequiis meritoriis, ejus honori impensis per
 gratiam ipsius; in alterâ autem vitâ obsequiis ipso-
 rum Sanctorum à Deo præmiativis, atque æterna-
 liter beatificis. Qui posterior modus, est Dei ma-
 gnificentîâ præ omnibus ejus in Creaturam bene-
 ficiis dignissimus; quia summus, quia ultimus, quia
 consummatissimus: adeò ut ut Deus Creatu-
 ram (puta Sanctos) non possit amplius glorifi-
 care, exaltare, fructuque majore, & obsequiis
 Deo dignioribus, aut gravioribus, majoribusve
 afficere: nec ipse à Creaturâ affici. Quia ergo
 Sancti, Deum; post omnia optimè merita de
 seipso, in hac mortali vitâ, ultimatis beatificis
 obsequiis exaltant, vicissimque à Deo exal-
 tantur: neque possunt aut exaltare illum,
 aut exaltari ab illo consummatius atque
 perfectius, & tam ipsis Sanctis, quam
 ipso Deo dignius: ideo à Sanctis, & ex Sanctis
 suis, Deus habet, & in æternum quidem habet,
 fructum ita summum, ut majorem habere non
 possit: ita perfectum & plenum, ut perfectio-
 rem pleniorumque non desideret.

8. Quamvis est etiam alius Sanctorum fructus,
 quem afferunt Deo: immixtus quidem & ille
 prioribus duobus modis, aliquatenus tamen
 alius. Sancti enim Dei, per hoc etiam obsequiis
 suis, & sunt, & fuerunt Deo suo admodum fru-
 ctuosi, quia nemo plus (post Deum) toti rerum
 universitati commodavit, quàm sancti Dei, Deo
 potissimum jam beati: tum quia potissimum
 propter

G:
 ope
 To
 N
 5

pro
 tum
 tur,
 ip
 ditu
 æter
 effu
 quia
 Dei,
 quæ
 & a
 q
 Matr
 cha
 quan
 Moy
 Viri
 am,
 gelis
 Sanc
 um &
 tum
 Sanc
 dund
 etus
 unive
 I
 to ist
 maxim
 genus
 ejus:
 etitati
 ternæ

propter Dei electos stant, atque conservantur, tum quia potissimum per electos eosdem ornantur, tum quia potissimum per electos, debita ab ipsis Deo laus, gloria, obsequentiaque impenditur: tum quia omnis generis, potissimumque æternæ salutis bona, per electos & effusa sunt, & effunduntur à Deo, in Creaturas: tum denique, quia potissimum per electos, atque in electis Dei, omnes reliquæ Creaturæ, finem suum, ad quem primariè à Deo conditæ sunt, fortiuntur, & adipiscuntur.

9. Videre hoc licet in unâ solâ Dei Hominis Matre & Virgine MARIA. Unus Noe Patriarcha toti Mundo per diluvium penè abolito, quantum contulit? Quid Abraham, Joseph, Moyse, David? Quid Apostoli, Apostolicique Viri? quorum laboribus Mundus exiit perfidiam, & impietatem usque hodie? Sanctis Angelis Custodibus, & Mundi, & Hominum: Sancto Michaeli Archangelo Principi Cælestium & Terrestrium, ac etiam Inferorum, quantum debet totum hoc universum? At hæc omnis Sanctorum Dei, in universum beneficentia, redundat ab eis in Dei sui gloriam, estque fructus Dei ex Sanctis suis: & est etiam fructus universi ex Sanctis Dei.

10. Gratulare Sanctis, quòd à Deo sint tanto isto honore dignati qui honor honorum est maximus; quòd adhibiti, & electi sint, ad hoc genus suprenæ exaltationis, & glorificationis ejus: non tantum per obsequia gratiæ, & sanctitatis, sed etiam per obsequia gloriæ ac sempiternæ beatitudinis, tam per seipsos, quàm per

DRUZ
SICKI
P: 480
II
V
7

alios, ad eundem finem beatissimum per suum ministerium adductos.

11. Appete tu quoque, esse instrumentum Dei, ad laudandum ipsum, esse currus gloriæ Dei ad circumferendam, & enarrandam, ubique gloriam Dei.

12. Offer te Deo, & pete ab ipso adhiberi, atque effunde te, in ejus glorificationem quam maximam, primum quidem in ipso te, & intra te, per eximiam Vitæ morumque sanctitatem, ac Christi Sanctorumque imitationem perfectam: tum deinde extra te, ut per te, ubique exaltetur Deus salutis nostræ: ut merearis bene, tum de Deo, tum de Sanctis omnibus Dei, quorum unica est nunc quoque ista cura: ut sit, à solis ortu usque ad occasum. laudabile nomen Domini, ex hoc nunc & usque in sæculum.

P R A X I S.

Domine, qui nosti omnium Sanctorum tuorum differentias, & merita, & omnibus eis dispositiones gratiarum facis, ut in omnibus, & ab omnibus glorificeris, tantum; quantum ipse vis, & scis, & facis te glorificari ab eis. Gaudeo in conspectu tuo, de hac voluntate, atque voluptate tuâ quam ex Sanctorum tuorum habes, in Gloriam tuam operatione: iisdemque Sanctis gratulor, & congaudeo, & gratias ago, quia totam vitam suam, totam animam, totam fortitudinem, totam mentem, totum cor, totas vires suas effuderunt, in amorem, in laudem, in beatificationem tuam: & propter te propterque voluntatem, & gloriam tuam, etiam in commoditatem, securitatem, salutemque æternam, tam hominum singulorum, quam populorum universorum,

G:
ope
To.
N
5

Ex.
foru
creat
eand
omni
licet
veru
meun
Esip
tui Sa

De

1. S
2.
Rege
mun
gusti
enim
bi au
mis co
illoru
bet p
ætern
ab ul
ipson
3.
Chri
suo se
tium,
& pr
colla

forum, quin & singularum specificè, individueque
creaturarum. Utere quoque me servulo tuo, ad
eandem exaltationem tuam: ut sicut glorificaris ab
omnibus Sanctis, ita & à me creaturarum tuarum
licet minima glorificeris: & sicut Sancti tui exalta-
verunt te summum bonum, & tuum, & suum, &
meum; ita & ego exaltem Te summum bonum tuum,
& ipsorum, & etiam meum, ad gloriam nominis
tui Sancti, omni maximâ majorem.

EXERCITIUM VI.

De Domino Sanctorum: & subiectione ad
ipsum nostram.

1. **S**tatue te in conspectu Sanctorum omnium
cum Deo regnantium in Cælo.

2. Agnosce, & confitere, Sanctos DEI, esse
Reges, & Principes, & Dominos, quovis hujus
mundi Principe longè majores, potentiores, au-
gustiores, confirmatioresque: propter hoc
enim dixit Propheta Deo, de Sanctis ejus; *Mi-
hi autem nimis honorati sunt Amici tui DEUS, ni-
mis confirmatus est principatus eorum.* Omnes enim
illorum potestas, & regnum, & dominatio, ha-
bet positos fines suos, pulchritudinem pacis
æternæ, habet tabernacula fiduciæ inconcussæ
ab ullo metu, habet requiem opulentam, &
ipsomet Deo beatam.

3. Propter hoc etiam, Dominus noster JESUS
Christus, Sanctus Sanctorum, habet in femore
suo scriptum, *Rex Regum, & Dominus Dominan-* *Apoc. 19. 16.*
tium, suorum scilicet Sanctorum, qui sunt veri,
& proprii Reges, atque Dominantes, quibus
collati hujus sæculi Reges ac Domini, mancipia
sunt

DRUR
SICKI
: ABC
II
V
7

sunt veriùs, & penè jumenta vilia, servitutem miserrimam servientia, tam suarum, quàm alienarum, & quidem ferme semper iniquarum cupiditatum, ac necessitatum.

4. His tantis cælestibus Beatisque Regibus, subjice te, atque illorum potestati, & dominio, te totum libens trade: propter Deum imprimis: deinde, & propter ipsorum Dignitatem. Digni enim sunt: & est hæc Voluntas coram Deo. Nam si potestatibus mundi hujus sublimioribus, imò omni Creaturæ, vult, & jubet nos subiectos, subditosque esse Apostolus: quanto magis justum est; nos subdi ex Divinâ Voluntate Sanctis Dei: quibus longè plenius, digniusque omnia subiecta sunt, quàm nobis hîc degentibus: de quibus tamen profitetur, & Deo gratias agens, admiransque, confitetur David: cum de omni homine dicit; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, Boves & oves, &c.*

Ps. 8. 8.

5. Amplectere itaque, Potestatem, Voluntatem, statuta, imperia, consilia, monita, & exempla Sanctorum, tanquam Divina. Cum enim ipsi sint Divinæ Voluntatis sacratissimi, eidemque, conjunctissimi, atque ex toto conformatissimi: nihil volunt, nihilque velle possunt, & nihil etiam posse volunt, nisi id solum, quod Deus vult: quodque evidenter sciunt Deum velle. Quare Voluntas eorum Voluntas Dei est: & cum aliquid nobis vel jubent, vel suadent, vel exemplo præmonstrant, id sine dubio DEI Voluntati conforme, placitumque est.

6. Hæc subjectio ad Sanctos, omnibus fidelibus Christi incumbit: omnes enim Filii Sancto-

rum

rum sumus, omnes generatio rectorum, & timendum Deum, qui nos Deo per Evangelium genuerunt, & sanctificaverunt. Specialius incumbiteadem ad sanctos subiectione, pastoribus, & rectoribus populorum, oviumque Dei: hi enim successores sunt eorum, de quibus dictum est, Sanctæ Ecclesiæ; *Pro Patribus tuis nati sunt tibi Ps. 44. 17. filii: constitues eos Principes super omnem terram.* Hi sunt etiam quibus dicitur à B. Paulo: cum vehemēti contestatione; *Attendite vobis, & Actor. 20. 28. universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

7. Specialissime dixerim, subiectionem ad Sanctos incumbere iis, quos vulgò Religiosos dicimus: sicuti & ipsi specialissime sunt filii, & generatio Sanctorum, atque Sectatores ipsorum. Quot enim isti habent Fundatores, & Patriarchas Ordinum suorum, quot habent Sanctos de suo Ordine, jam cum Deo regnantes in Cælo, quot majorum suorum, instituta, Regulas, directiones, & præcipuè exempla; tot habent voluntates, præcepta, monita, consilia, tum Dei, tum ipsorum; ad hoc sibi, ab ipsis, Dei Nomine proposita, ut ab ipsis in praxim, & executionem, fidei, & filiali obedientiâ, atque diligentia deducantur, utque inchoata per illos, per posteros successoresque compleantur.

8. Trade igitur te Sanctis omnibus in subditum, ac servum: seu filium: & quidquid eos velle, scies, hoc libenter facito, & exactè, & perfecte, & constanter, sicut illos velle nosti. Quodsi difficile putas explorare Sanctorum Voluntatem; eam per Divinæ Voluntatis, veritatis,

DRUR
SICKI
: ASCA
II
V
7

9: ope TO N 5

tis, fideique regulam, per morum, & vitæ, operumque ipsorum exempla, atque instituta, facile indagabis: quidquid enim Deus vult, hoc & ipsi volunt, hoc suadent, hoc instituerunt faciendum à suis filiis: in hoc faciendo, iisdem suis prævivere exemplis: hoc ut à suis posteris naviter perficiatur, summis desideriis, unà cum Domino Deo suo exoptant, & expectant.

9. Et hic est præcipuus, & maximè tum Deo, tum Sanctis desideratus, ac placitus Sanctorum cultus, & ad ipsos subjectionis modus. Sic nimirum vivere, sic agere, quomodo vixerunt, quomodo egerunt, quomodo agendum, & vivendum præscripserunt Sancti: ut placeas Deo, sicut eidem placuerunt Sancti: ut placeas, & assimileris Sanctis, sicut assimilati sunt Deo iisdem Sancti.

P R A X I S.

VERè Domino nimis confortatus est Principatus Sanctorum tuorum, constituisti eos Principes super omnem terram, non solum hanc nostram morientium, verum & super illam viventium. Cum ergo Principes sint à te constituti, sine dubio & nos subditi eorum sumus facti, quorum voluntati nos subesse sancta tua voluntas est. Non est enim alia illorum, alia voluntas tua: sed hoc ipsum semper illi volunt quod te velle sciunt, sicut & tua voluntas, illorum voluntas est, quoniam tu voluntatem timendum te nunquam non vis, nunquam non facis. His itaque ego me subdo: sicut tibi: eorum voluntatem exequi volo sicut tuam: iis placere desidero, atque statuo, sicut tibi: ex eorum manibus, & institutis, & exemplis, volo cognoscere, & adimplere voluntatem

tatem illorum sicut tuam: tuam sicut illorum: ut sic demum Domine fiat voluntas tua sicut in celo, ita & in terra. Omnia verò ad Gloriam tuam in Sanctis, & ad Gloriam Sanctorum in te: qui sicut in voluntate illorum tuam nobis voluntatem proponis: sic in nostrâ ad illos subiectione à nobis honoraris.

EXERCITIUM VII.

De Desiderio Societatis Sanctorum.

1. **S**Tatue te in conspectu Sanctorum omnium, cum Deo in Cælo, beatissimè & felicissimè regnantium.

2. Accendere famelicissimo desiderio adnumerandi, adjungendique te Sanctis, & participandi cum eis de illorum beatissimâ felicitate.

3. Ad hoc enim tota dispensatio Providentiæ, ad hoc tota Oeconomia Voluntatis Divinæ dirigitur, quâ DEUS, & circa te unum, & circa omnem Creaturam rationalem, utitur, occupaturque: ut nimirum Sanctus sis, cum Sanctis sis, videas Sanctos; & vivas cum Sanctis: propterea dicitur nobis voce Apostolicâ; *Accessistis ad Hebr. 12. 22. Civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, & 23. Ecclesiam primitivorum: qui conscripti sunt in cælis, & ad multorum millium Angelorum frequentiam.* Et rursus: *Jam non estis (ait nobis) hospites & Ephes. 2. 19. advena: sed estis Cives Sanctorum, & domestici Dei.* Ad hoc, actu si non pervenis; tota Providentiæ Divinæ series, totus Bonitatis Divinæ sumptus, tota omnipotentia Dei occupatio circa te, in nihilum, tuo damno, tuo vitio recidit.

4. Ad hoc sumus unius Patris filii, ad hoc unius

DRUR
Sicki
: abca
II
V
7

unius Civitatis Cives, ad hoc unius capitis membra, ad hoc unius ædificii lapides vivi, ut ab invicem non disjungamur, neque dissipemur, sed in unum Beatitudinis domicilium, Regnum, corpusque coalescamus.

5. Cùm ergo sine te non sit futura plena Societas Sanctorum, sed tot filiis carebit Pater, tot Civibus Civitas, tot membris Caput, tot lapidibus Domus; quot ex hominibus deesse, & excidere à beatitudine contigerit: tu omnimodis Sanctus esse, & omnino cum Sanctis esse desidera: ac insuper omnes alios, quod in te est, esse cum iisdem in beatitudine adlabora.

6. Hunc in finem, crebrò tuam (& aliorum) à Sanctis dissimilitudinem, disjunctionemque (quæ potissimum disparitate morum fit) agnosce: desle, emenda, abole: omniflutio curans, ut sis per omnia moribus Sanctorum similis: assiduo luctu deplorans, quòd eis multum fueris, & adhuc sis, multum, & in multis dissimilis.

7. Hunc etiam in finem, sæpè cum Sanctis conversari, & colloqui elabora: Cogitando de Sanctis, mores, & gesta vitasque eorum recognoscendo, opera illorum imitando, instituta sectando, sancita exæquendo, Virtutes exprimendo, admiranda eorum in eis mirando, & Deum pro eis glorificando: imitanda verò illorum diligenter æmulando, & vitam propriam quotidie adinstar eorum conformando: quotidie quidquid adhuc deest addendo, & adinstar exemplarque illorum semper amplius proficiendo.

8. Hunc

G:
ope
To.
N
5

8.
xiliu
Chri
in eis
cum
Sanct
quanc
pro n
super
mifera
9.
tædio
conju
hoc &
congr
manti
per, t
quio,
ne sen
possun
I
vivere
cum C
Sancti
nes, t
simile
omnib
cile di
advoc
perfe
Sanct
morâ,
venio

8. Hunc etiam in finem, sæpè Sanctos in auxilium tuum, & tuorum, & totius Ecclesiæ Christi invoca: cum omni fiduciâ, honorans in eis Deum, & illos in Deo, per hoc, quia cum Sancti invocantur, Deus ad honorandos Sanctos provocatur: quos ille tunc honorat, quando ad ipsorum à nobis invocationem, & pro nobis Orationem, Misericordiæ suæ dona super nos effundit. Et hæc ipsa Dei super nos miseratio, est Dei maxima glorificatio.

9. Hunc etiam in finem, ardenti, & assiduo tædio afficiaris ad realem cum Sanctis in Cælo conjunctionem, & cohabitationem. Sicut enim hoc & Deus, & Sancti summè desiderant, ita congruum est, & te id summè desiderare. Amantium, & Amicorum est simul esse velle semper, frui mutuo conspectu, convictu, colloquio, affectu, amore, super omnia beatitudine semper. Non amant, qui sine se facile esse possunt.

10. Ambi ergo, anhela cum Sanctis esse, vivere, perennare: concupisce dissolvi, & esse cum Christo, Sanctorum Sancto, & cum ejus Sanctis. Sæpè te ipsum urge, ut ad illos festines, ut te ad illos quàm maximè paratum, id est, similem facias. Avelle te ipsum, & explica ab omnibus creatis, & hujus vitæ vinculis, ut facile dissolvi paries iste possit, domusque lutea: ad voem Domini venire jubentis, necdum satis perfectam, tu jam exeas: tu jam exisse, & ad Sanctorum tabernacula, complexûsque, sine morâ, sine impedimento festinare, atque Ecce venio, Ecce adsum, ingeminare inveniaris.

PRAXIS.

DRUR
SICKI
: ABC
II
V
7

P R A X I S.

Domine, me expectant justi tui, donec retribuam tibi. Ah! quare necdum est depositio tabernaculi mei parata? quare adhuc in ista regione mortis, incola est Anima mea? O! quanta est felicitas, videre Sanctos, gaudere de Sanctis, vivere cum Sanctis, cum Sanctis esse, & esse Sanctum! Scio Domine: & dolens recognosco, gemensque confiteor, quia adhuc maneo in magna regione dissimilitudinis a Sanctis tuis. Et quid prodest Domine diu vivere, si non succedit sanctius vivere? Domine, damelius, da sanctius, da perfectius vivere, & tunc delectabit vivere: quamvis tunc minime delectabit vivere, quando ex gratia tua dederis sancte, perfecte, celo, & sanctis, & te, digne vivere. Quousque ergo differis Domine, quousque non parcis mihi, nec finis ut glutinam salivam meam desiderii mei, quo cupio cum tuis Sanctis esse, & tibi appropinquare, & te cum illis in secula seculorum laudare? O Sancti! hac utique est pars vestra, atque mercedis vestrae portio magna, adjungi nos vobis, & conscriptos nos habere vobiscum in gloria Patris. Ergo juvate, ergo trahite, compellite, & cogite tardantes nos, & inviteas hasce domos deserere metuentes. O adeste! parate nos, & corda nostra Domino: facite nos cito plebem perfectam, ut simus parati occurrere illi venienti, respondere vocanti. Dirumpite vincula nostra, quibus hic tenemur: ut digni, & accinti simus adjungi vobis: & sacrificare sacrificium laudis, in illa Patria, jam vestra in re, nostra autem adhuc in spe: sed spe qua non confundit: quia Spes nostra Dominus, Sanctorum principatum tenens, cui gloria in secula.

EXER.